



104

GENVS IRRITABILE

VATVM

DVCTV

HORAT. L. II. Ep. II. 102.

CONTEMPLATVS

A.D.

ORATIONEM BENEFICIO
RICHTERIANO

SACRAMENT

O B S E Q V I O S E

INVITATION

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDR. BARTHELIDI

CIV.

Quum nuper Bataui celeberrimi, PETRI BVRMANNI SECUNDI libellum virulentissimis conuiciis resertum a) perlustrassem, et breui post tempore in EDWARDI YOVNGII, Angli notissimi, obseruationes Poeticas b) inciderem, illa inprimis sententia perplacuit, qua hic auctor caussas examinat, cur animi plurimorum poetarum tam facile ad iram et vindictae impetum exacuantur, ut ipse HORATIVS non dubitet, genus irritabile vatum censura notare? c) Quia nimurum huius fortis homines non modo perspectum atque exploratum habent, se variarum rerum notitia multos alias anteire, sed etiam gratia atque existimatione quam plurimos superare, in vitium vanae ostentationis facile prolabuntur, suoque ipsorum amore exaecati, omnis censurae impatientes euadunt, iis sere similes, quos VIRGILIVS describit; d)

heu! quantum inter se bellum, si lumina vitae
attigerint, quantas acies fragesque ciebunt!
qui iuuenes quantas ostentent, respice, vires!

Itaque eadem fere estratio apum ac poetarum. Vti enim illae, nisi irritentur, viles omnino sunt atque innoxiae; fin ad iram prouocentur, aculeis eos petunt, à quibus laeduntur: ita hi in utramque partem multum valent, siue commendent, siue inuehantur. Quia mente PLATO omnia, qui honestati seruiunt, suasor est atque auctor, ut à poetarum iracundia sibi caueant; e) ἐκαὶ σωφρονης, ἐν λαθεῖς εἰναι, μηδεποτέ απεχθενεδαὶ ἀνδρεὶ ποιητῶν μηδενι. Οἱ γαρ ποιῆται μεγάς διεντελεῖ, τετραγωνίς ἡ ἐν λογογραφίᾳ κατηγορεῖται, h. e. si sapient, circumspicte agas, ut ne illum poëtam irrites: hi enim multum valent in utramque partem, tam laudando, quam vituperando. Quae verba poëta Latinus his numeris complectitur:

Si sapient, atque homines inter vis nomen habere,
Fac, de te posse nemo poëta queri.

Namque solent famae multum prodeſſe poëtae,
Siue mala accufent, seu bona facta probent.

Et hoc animo Philippus, rex Macedoniae, filio suo Alexandro hoc consilium suppeditasse narratur, ne poëtas offendaret, quia huius generis homines, quod volunt, libere dicant, auctoritate multum possint, et famae nostrae irritati maculam facile inurant. Nam quo feliciori ingenio poëta excellit, eo magnificenter plerumque de se suisque virtutibus sentit, coque altiori supercilie alios contemnit, dignus, qui hoc sale Gallico perfricetur; f)

depuisque

- a) Anti-Klozius, *Amstelod. 1762.* b) quae germanicum in sermonem conuersae leguntur in der Sammlung vermischter Schriften zur Beforderung der schönen Wissenschaft. (Berol. 1759.) Vol. II. p. 206. sqq. c) L. II. Ep. II. 102.
d) Aen. VI 829. e) in Minoe. Opp. T. II. p. 320. ed. Par. Serr.
f) Moliere dans le Misanthrope, conf. Querelles litteraires, Par. 1762.

depuis que dans la tête il s' a mis, d' être habile,
rien ne touche son goût, tant il est difficile;
il veut voir des défauts à tout ce, qu'on écrit,
il pense, que louer n' est pas d' un bel esprit:
que c' est, être scavant, que trouver à redire,
qu'il n' appartient qu' aux sots, d' admirer et de rire,
et qu' en n' approuvant rien des ouvrages du tems,
il se met au dessus de tous les autres gens,
et les deux bras croisés du haut de son esprit
il regarde en pitié tout ce, que chacun dit.

Alio loco idem censor Gallicus g) huius conditionis atque indolis homines re-
praesentat, his verborum phaleris sese ostentantes:

nous serons par nos loix les juges des ouvrages,
par nos loix Prosæ et Vers, tout nous sera soumis:
nul n' aura de l' esprit hors nous et nos amis:
nous chercherons par tout à trouver à redire,
et ne verrons que nous, qui cache bien écrire.

Sed, quid opus est testimonii peregrinis, quum domestica non desint? Ita scili-
cket HORATIVS canit; h)

vesamini tetigisse timent fugiuntque pœtam,
qui sapient.

ita OVIDIUS monet; i) — — — — ne tange pœtas!

Ex recentioribus autem MART. OPITIVS k) suo et reliquorum pœta-
rum nomine hoc super argumento ita sentit:

Si non filebit iste livor impius,
vatisque famam laedet et morum decus,
impune non lacefer: est nobis stili
mucro tremendi, quem lacertosa manu
cohorts intentabimus collo sacrae.

Quam in sententiam MART. NESELIVS canit; l)

irritat vates acutque iniuria, et aegre,
cui semel arrepta est penna, pœta tacet.

NEVMARCKIVS antem versum Latinum: qui sapit, hostilem vitabit habere
pœtam; in hos rhythmos vernaculi sermonis conuertit; m)

Welcker

g) dans les femmes scavantes.

k) Sylvar. L. III. p. 55.

Lüftwald P. III. p. 22.

h) Art. poet. 455.

l) Sylvar. L. II. p. 205. 316.

i) Remed. amor. 757.

m) Poetisther

Welcher klug ist, macht sich keinen Dichter leicht zum Feinde,
sondern haelt denselbigen, so viel moeglich ist, zum Freunde.
Denn, thust du ihm was zu Liebe, wohl! er hebt dich Himmel an:
und er stösst dich biss zur Höllen, wenn du ihm ein Leid gethan.

Haec testimonia genus irritabile uatum aperte produnt, et eo quidem maiorem vim probandi habent, quod ab ipsis pöetis proficiscuntur. Nunc vero etiam exemplis idoneis idem testatum faciemus.

Agnen ducant HOMERVS atque HESIODVS, pöetae non tantum antiquissimi, sed etiam celeberrimi, quod neque ante illos erant, quos sequerentur, neque post eos reperti sunt, qui imitando illos exaequarent: quos autem iamduam SEXTVS EMPIRICVS eo nomine notauit, n) quod a contumeliis et conuiciis adeo sibi temperare non potuerint, ut linguam et calamus in ipsos deos stringere non dubitarent,

*πάντα θεοί οὐεθηκαν οὔμογος Θ' Ἡσιόδος τε,
ὅσσα παρ' αὐθεωπούσιν οὐείδεα καὶ φύοις ἐξι,*

κλεπτεῖν, μοιχευεῖν, καὶ αλλήλοις απατεῖν, h. c.

Hesiodus diis omnia imputarunt, quae apud homines probro sunt ac ignominiae, veluti furari, adulterari et mutuo fallere. Qua de causa iidem poenas apud inferos grauiissimas luere perhibentur, siquidem Pythagoras ad inferos descendens vidit Hesiodi animam aereis vinculis ad columnam religatam et perpetuo stridentem, Homeri autem ex arbore suspensam, multisque serpentibus circumseptam, o). His jungi meretur veteris comoediae princeps, ARISTOPHANES, pöeta vero ad conuiciandum expeditissimus, qui scena abutebatur ad virus amarulentissimum grauiissimos in viros effundendum. Namque in ea fabula, quae *Pacis* nomine inscribitur, omnes omnino Lacedaemonios multo sale perficat, in *Acharnensisibus* Periclem vehementissime fugillat, in *Equitibus* Cleonem, maximis opibusque valenteim, pessime traducit, in primis autem in *Nubibus* Sokratem acerbissimis scommatibus lacefisit, quod nuper PLVTARCHVS noster indicabat, illi exprobrans *οὐ πάντοις πατεῖν οὐβέην αὐτες κατεσκεδαννε*, quod omnem omnino contumeliam in eum sparserit p). Neque minus classi pöetarum irritabilium EVRIPIDES est accensendus, tragicorum quidem facile princeps, sed moribus adeo difficilis, et ab omni humanitate alienus, ut cognomine *μισογελως* notaretur. Qui quum ab Archelai regis coena domum repetere veller, vitam misere amitebat, à canibus disceptus, quos procul dubio adversarii antea ab eo exagitati incitauerant; q) id quod OVIDIVS suo testimonio confirmat, Ibidi imprecans,

ut

a) adv. Mathem. L. VIII. p. 341.

p) de Educ. puer. Cap XIV. conf. Aelian. Var. Hist. L. II. c. 13.

o) Diog. Laert. vit. Philos L. VIII. 21.

q) Gellii Noct. Att. L. XV. c. 20.

*ut coturnatum vatem tutela dianae,
dilaniet vigilum te quoque turba canum r.)*

Quantum nomen Euripides inter tragicos, tantum inter poetas Idyllicos sibi THEOCRITVS comparavit. Hanc autem famam linguae petulantia non parum maculauit. Nunc enim Alexandro M. sumtuosum luxum exprobrabat, Nunc Antigonum acerbissimis dictiis petebat. Nam quum hic Eutropionem coquum ad Theocritum mitteret, ut ad rationem sui munera reddendam se pararet, hic non minus imprudenter quam impudenter regerebat; facile intelligo, quod crudum me Cyclopi tradere velis: quo nomine vtrumque, et regem et Eutropionem petebat, illum, quod cocles, hunc, quod coquus esset. s) Idem vero etiam in Hieronis filium grauiter innectus, quum vinculis constrictus interrogaretur: num in posterum à maledictis desistere vellet? eo vehementius ipsum regum maledictis incesebat. Quare rex indignatus eum capi iubebat, quem alii laqueo interfectum, alii capite priuatum narrant. Illud OVIDIVS adfimat, idem fatum aduersario suo ominans: t)

*ut Syracusio praefixa fauce poetae,
sic animae laqueo sit via clausa tuae.*

hoc autem PLVTARCHVS memoriae prodidit, quum irae et linguae continentiam commendat, et Theocritum in exemplum adducit, qui *αδυροσομενος και μανιας, loquacitatis atque insaniae* promeritam poenam luebat, et quem rex *πενιλας ανειλη, missō carnifice occidi iubebat.* u) Porro huc referri debet ARCHILOCHVS, carminis lambici inuentor celebratissimus, sed PINDARO teste, w) *ψορευος, και βαρυλογος εχθεσι πιστομενος, maledicus, et vehementissimis oditis pinguis factus.* Cuius odium in primis expertus est Lycambes, qui quin filiam suam Neobulen huic poetae despontisset, eam vero postea, pacti poenitens, alteri collocaret, ab Archilocho irritato versibus virulentis et felle tinctis adeo pungebatur, ut laqueo mortem sibi consenseret. Vnde HORATIVS: x)

*Archilochus isto faveuit iratus metro
contra Lycambem et filias,
qui alio etiam loco eum his verbis depingit: y)
qui sacerum quaerit, quem versibus obliniat atris,
et sponsae laqueum famoso carmine necat.*

Et hanc ob causam Lacedaemonii primo Archilochi carmina, deinde ipsum poetam urbe sua expellebant. z) Ad quod fatum OVIDIVS digitum intendit, Ibi hijs maledictis prosequens: a)

ut

r) in Ibin. 497.

s) Plutarch 1 c.

t) in Ibin. 545.

u) 1 c.

w) Pyth Od. 2.

x) Epod VI.

y) L. I. Ep. 19.

z) Io. Sariser.

in Poliorat L. VIII c. 2.

a) in Ibin. 524.

*ut repertori nocuit pugnacis Iambi,
sic sit in exitium lingua proterua tuum.*

Quo nomine Archilochus meruit, ut ipse Cerberus manes istius exhorrescere crederetur, quod inscriptio sepulcralis testatur; b)

*Κερβερος δειμαλενης ύδωρινον νεκυεστον επιλαων
ηδη Φεικαλεον δεδιτι και συ νεκυ.*

*Αρχιλοχος τεθνεκε, Φυλατσεο Θυμον ιαμβων
δευμιν, πικροχολε τικτομενος σοματος.* h. e. Cerbere, qui

borrendis latratibus manes turbas, mina metue formidolosam umbram. Namque Archilochus occubuit, qui acrem excandescitiam iamborum ex ore amarulentu effundit. Sequatur ALCAEVUS, poeta lyricus, qui tanto in pretio habebatur, ut a ciuibus suis plectro aureo donaretur, qui vero etiam versibus mordacissimis viros grauissimos, et in primis magistratum gerentes, adeo insectabatur, ut carmina illius *σαυστικα*, h. e. *seditiosa* audirent, quae HORATIVS *camenas minaces*, c) OVIDIVS autem *lyram seueram* adpellat. d) Et huius quidem aculeos nemo grauius Pittaco sensit. Quum enim Alcaeus in bello aduersus Athenienses exercitui Mityleneorum praefuisisset, re autem male gesta, imperium Pittaco demandaretur, ille non solum hunc acerbissimis conuiciis proscindebat, e) sed etiam carminibus maledicentissimis animos ciuium suorum concitabat. f) Tandem autem Alcaeus vel turpi fuga ipse excessit, quod HORATIO videtur, g) vel in fugam fuit coniectus, quod HERODOTVS suspicatur. h) OVIDIVS vero illi exprobrat fidem, qua se Pittaco obstrinxerat, friuole violatam, canens: i)

*ut lyrae vates fertur periisse seuerae,
caussa sit exitii dextera laesa tui.*

Neque SOTADES hoc numero est eximendus, natione Cretensis, poeta tam felicis ingenii, quam virulentae linguae, quippe qui conuiciis adeo mancipatus erat, ut neque regibus sua aetatis, Lysimacho et Ptolemaeo Philadelpho parceret. Nam quum hic, rex Aegypti, suam ipsius sororem, Arsinoen, exemplum Iouis sequutus, uxorem peteret, Sotades hunc incestum tam veheinenter perstringebat, ut capit is poenam sibi contraheret. k) In primis vero HIPPONAX numerum poetarum irritabilium auget, qui eo versuum iambicorum genere inclaurit, quod Scazon vel Choliambicum audit, quoniam hoc ad conuicia accommodatissimum sibi videbatur, de quo DEMETRIVS ita sentit: l) λοιδερον της έχθρας, έθεαντο το μετερον, και ἐπομετο χωλον αντι εύθεος, τετετι, δεινοτητι πρεπον και λοιδορισ. To γαρ ἔργοντο και εὐπνοον ἔγκω-

μιοις

b) Epigr. Graec. L. III.

Lact. L. I. Sect. 81.

h) in Terpsichor. p. 205.

puer. C. XIV. §. 26.

c) L. IV. Od. 9.

f) Max. Tyr. Diff. XXI.

i) in Ibin. 526.

l) de Elocut. §. 325.

d) I. c. 526.

g) L. II. Od. 13.

e) Diog.

k) Plutarch. de Educ.

*μοις ὁ πρεσβεῖοι μαλλον ή Ψευδοι, h. e. Quum Hipponax vellet conuictari,
metro vim intulit, et pro recto claudum fecit, vehementiae scilicet et contumeliae
conueniens. Metrum enim regulare et pulcre sonans magis conuenit laudibus
quam conuiciis.*

Ex numero autem poetarum Latinorum, qui ad genus ircitabile vatuum
pertinent, spatio exclusi, iam non nisi duo in medium proferamus, HORATIVM atque OVIDIVM. Et ne quidem iniuriam iis facere videamur, ut
adpareat, quam proclives fuerint ad indignationem, utrumque testem propria in
causa audiamus. Ita vero HORATIVS: m)

*ne quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
qui me commorit, (melius, non tangere, clamo!)
flebit, et insignis tota contabitur urbe*

Et quis quaeso, hoc in dubium vocare ausit, qui illius vel Satyras vel librum
Eponon legit? in quibus Archilochi animum, spiritum et numeros felicissime
expressit. Speciminis loco minae esse possunt, quibus Cassium Scuerum perse-
quitur: n)

*caue, caue! namque in malos asperrimus
parata tollo cornua,
qualis Lycambae spretus infido gener
aut acer hostis Bupalo.*

Bupalus enim arte sculptoria adeo excellebat, ut in omnium admiratione esset.
Et quia illa aetate Hipponax versibus aculeatis obuium quemque petebat, quum
vultus foeditate valde esset deformis, Bupalus imaginem istius accurate efforma-
tum spectantium oculis exponebat publice irridendam. Quo facto Hipponax
tantum indignationis animo concipiebat, ut carmine dentato Bupalum peteret.
Quo facto hic, pudore et dolore excarnificatus, laqueo guttur frangebat, dignus,
cuius cippo haec verba inscriberentur: o)

*ω ξεινε, Φευγε τον χαλαζεπη ταφον,
τον φριγτον ιππωνακτον, ετε χ α τε φρε
ιαμβιαζεις Βεπαλλεον εις συγο, h. e. o hospes! fuge Hipponactis
sepulcrum horrendum, et verborum grandine resertum, cuius etiam cinis iambo
in odium Bupali torquet. Eundem Horatii autum PERSIVS notat, canens: p)
Omne vase vitium ridenti Flaccus amico
tangit.*

Gallus

m) L. II. Sat. I. (1)

n) Epop. VI.

o) Epigr. Graec. L. III.

p) Sat. I. 116.

Gallus vero BOILAVIVS, qui Horatium haud innuita Minerua sequitur, ita de eo sentit: q)

*Horace à cette aigreur mêla son eniouement:
on ne fut plus ni fat ni fût impunement.*

OVIDIO autem inter pöetas irritablem locum merito adsignari, locupletissimus testis illud est carmen, quo Ibis persequitur. Quamuis enim nesciamus, quem his versibus petierit, hoc tamen in propatulo est, pöeta in eo omnes diras atque imprecations coaceruasse. Et quidem nomen huius pöematis Naso mutuatus videtur a Graeco pöeta Callimacho, qui itidem carmine contumelioso, quod ibis inscribitur, in pöetam suae aetatis, Apollonium Rhodium, vehementissime est inuestitus. Habuit igitur QV'NTILIANVS, quod hanc de Ouidio sententiam ferret: *ingenio suo indulgere, quam illud temperare maluit:* r) cum qua ROSSAEI censura fere conspirat, qui illum depingit *trop indulgent au feu de son genie.* s)

Quum itaque ex iam dictis adpareat, quas vel maculas pöetae, indignatione ex studio vituperandi abrepti, famae suae adsperserint, vel quae pericula et damna ex scriptis contumeliosis retulerint, sedulo monendi sunt iuuenes, ne hoc aeflu se corrumpi patientur. Experiencia enim testatum facit, eos, qui calamum in alios stringunt, sibi ipsis plurimum nocere, tantum abest, ut aliis placeant, ut potius in odium publicum incurvant. Id quod opportue dictum sibi putauit iuuenis erecii quidem, sed moderati ingenii,

AVG. SIGISM. NAECKE,
Freiberg.

qui litteris humanitatis adhuc diligenter innutritus ita se gessit, ut GRAVISSIMI DOMINI INSPECTORES liberali illo stipendio RICHTERIANO, quod Viatici nomine schola discendentibus confertur, eum dignum censuerint. Cuius beneficij memoriam ut pie renouet, et animum gratum publice profiteatur, oratione Latina de studio atque arte placendi exponat. Abeuntem autem et suo et commilitonum nomine Collegae nostri meritissimi filius,

Car. Christianus Lutherus,
Freib.

prosequetur, carmine Theotisco *imaginem diligentis discipuli complexus.*

A vobis igitur, PATRONI, FAVTORES, atque AMICI, etiam atque etiam petimus, vt et praesentia et auditentia et suffragio Vestro hoc institutum ornare, iuuare et comprobare velitis. Qua mente Vestrum accessum cras, hora ante meridiem nona audita, obsequiose exspectamus. Freiberg.

d. Febr. A. R. G. MDCCLXIII.

q) *Oeuv. de Mfr. Boileau.* T. II. p. 34.

r) *Institut. Orat.* L. X. c. L

s) *Oeuv. de Mfr. Rousseau.* T. I. p. 246.

Yb-627

ULB Halle
001 508 164

3



(811148)

TA→OL

VD18





Farbkarte #13

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
B.I.G.																				
Black																				
3/Color																				
White																				
Magenta																				
Red																				
Yellow																				
Green																				
Cyan																				
Blue																				

104

GENVS IRRITABILE VATVM

DVCTV
HORAT. L. II. Ep. II. 102.
CONTEMPLATVS

AD
ORATIONEM BENEFICIO
RICHTERIANO

SACRAM

OBSEQVIOSE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDR. BARTHELIL.

GIV.